



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quòd filij sine parentum consensu non debent contrahere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Dei ordinatio labefactetur, id quod Apostolus iubet
1. Cor. 14. omnia debere decenter & honestè, id est, si-
ne scandalo fieri &c.

Secundo, parentes peccant si filios suos cogunt ^{2a}
propter diuitias aut aliam ob causam ad matrimo-
nium huius vel illius personæ, maximè quandò con-
scientia & amor reclamationat, Apostolus 2. Corint. 13. in-
quit, Potestas, scilicet ad regendum animas, non est
data in destructionem, sed in ædificationem. Ideò pa-
rentum potestas non extendit se amplius, nisi quan-
tùm filijs cõducit ad ædificationem cõscientiæ ipso-
rum & animæ salutē. Qui ergò cogit filiũ suũ, vt hæc
ducat, velit nolit, & vbi nec amor nec gaudium appa-
ret, facit Tyrannicè, & abutitur sua potestate, & par-
ticeps erit omnium malorum quæ postea euenient.
Nec viri potestas est erga vxorem ad destructionem
conscientiæ, sed ad ædificationem. Nec regis pote-
stas est in subditos ad destructionem contra conscien-
tiam animarum salutem, sed ad ædificationem: aliàs
dicendum est, oportere Deo magis obedire quàm ho-
minibus, Actorum quinto. Quòd si filius obedierit
aut filia parentibus secundum illud Euangelij dictũ,
Matth. 5. Si quis te adegerit ad vnum milliare, vade
cum illo & alia duo: quia Christianus debet pati ini-
uriam, & nulli facere: attamen parentes nõ sunt ex-
cusati à peccato. Deus non coëgit Adam, sed osten-
dit solum ipsi Euam suam, Genes. 2. Ideò tales filij
coacti hoc faciunt, & habent patientiam cum Iacob,
qui postquàm septem annis seruisset pro Rachele,
quam amabat, obrusa ei fuit Lia lippis oculis, Gen.
29. Sed commisit hoc Deo, & Deus fuit cum illo.

Tertiò, filius aut filia non debet contrahere voto ^{3.}
cum aliquo sine scitu aut consensu parentum: nam
Dei est præceptum, Honora patrem & matrem &c. et.
nec habetur exemplum in tota scriptura, quòd vo-
uerint filij aut contraxerint soli inconsultis paren-
tibus,

tibus, sed scriptum legitur de parentibus, Date filijs vestris viros, & filijs vxores. Hierem. 29. Exo. 21. dicit Moyfes, si pater dederit filio vxorem. Sic Isaac & Iacob acceperunt vxores ex commissione parentum, Gen. 24. & 28. Ideò communiter malè succedunt eiusmodi clandestina matrimonia sine consensu parentum. Ideòque nuptiæ celebrantur publicè & cum solenni lætitia, vt damnentur clandestina vota & matrimonia. Adam non accepit sibi ipsi sponsam suam, sicut textus habet, sed Deus adduxit illā ad Adā, Gen. 2. Sed inquis: Res acta est, & votum filij mei sine meo scitu & consensu, quid faciam? In tali casu possunt parentes Deo causam committere, & patiēter ferre inobedientiam filiorum, quam Deus nouit suo tempore vindicare. Ipsi sunt excusati coram Deo. Cogitent ergò filij, quàm sit periculosum: tam longum statum incipere cum inobedientia parentum, quam illis Deus præcepit. Peccant etiam grauissimè deceptores pauperum virginum & ancillarum. Ideò cogitent vt in timore Domini coniugia sua incipiant, sicut Tobias iunior docetur ab angelo, Tobia 6. & 7. Vide latiùs capita de statu coniugatorum, & de educatione filiorum.

SEPTIMUM DEI PRÆ-
ceptum, Non furtum facies.

CAP. XVI.

ARGUMENTA.

1. *Quid sit intelligendum per hoc verbum furari.*
2. *Quòd merces iusta pro labore, non est furtum.*
3. *De restitutione furti, quomodo fieri debeat.*

Hoc